

Franckesche Stiftungen zu Halle

Historia Reformationis Ex B. D. Martini Lutheri Aliorumque fide dignorum scriptorum monumentis eruta ac digesta

Majus, Johann Heinrich

Francofvrti ad Moenvm, MDCCX.

VD18 11197102

Ad Locum XX. De Iustificatione.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-211445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-211445)

quia sanctificant se ab omni inquinamento carnis & spiritus, licet carnificinam illam confictamque hypocrisin non faciant. - Omnia iusti opera sunt poenitentiae, id est, mutationes & renovationes de die in diem. Hæc autem non possibilia modo, sed necessaria quoque sunt, nisi sis de 99. iustis, qui poenitentia non indigent, aut socius Pharisei, qui non est sicut ceteri hominum. Nam nos cum Ecclesia congemimus assidue: *erravi sicut ovis quæ periit, quare servum tuum*, Psal. CXIX. 176. & cum publicano vocem turturis sonamus: *Deus propitius esto mihi peccatori*, Luc. XVIII. 13. & *dimitte nobis debita nostra*, cum omnibus sanctis dicimus, non solum verbo, sed corde & opere. Semper enim in timore Dei agimus; timor autem principium est sapientiae, id est, mutatio de insipientia ad sapientiam, quæ est verissima poenitentia. Factis ostendit, se non egere poenitentia, (ait Bernardus) qui non assidue ad poenitentiam festinat.

Tom. I. Jen. Lat. fol. 47. a, b. in Resp. ad Dial. Sylvest.

AD LOCUM XX. DE JUSTIFICATIONE.

Ad pag. 1020. §. XV.

Rationem reddidit Noster in scripto *adversus armatum Cochleum*, cur dixerit *sola fide justificari*, cum in Apostolo dictio illa *Sola* non inveniatur. *Primum*, inquit, *conatus sum* reddere, quam potui, clarissime vim Paulinæ sententiæ, quam Sophistæ diuturno & sacrilego verborum abusu penitus obscurarunt, Nam ubi ad Romanos de fide & operibus disputat, adversus iustitiam operum, certe id vehementissime urget, ut justificationem operibus in totum adimat & *soli fidei* tribuat, hæc enim sunt verba ejus: *ex operibus legis nemo justificatur*, Rom. III. 20. Et iterum: *arbitramur hominem justificari ex fide, sine operibus legis*,

legis, v. 28. Et iterum: *omnes peccaverunt & vacui sunt gloria Dei, gratis autem justificati per fidem &c.* v. 23. 24. & Roman. XIV. 23. *peccatum est quicquid non est ex fide.* Denique hoc confirmat potentissimo exemplo Abrahamæ, qui justificatus est non ex circumcisione, quod erat optimum & egregium opus divinitus mandatum, & omni obedientia perfectum, sed fide, ante circumcisionem. Negatque eum habere gloriam coram Deo, si ullis operibus sit justificatus, Scripturam vero dicere, *fide esse justificatum &c.* Rom. IV. 2. seqq. Hæc certe sunt fulmina divinæ autoritatis. Tunc vide, *an non Paulus vehementius asserat, sola fide nos justificari, quam ego, licet vocabulo, sola, non utatur, quo ego sum usus.* Nam dicere: opera non justificant, sed fides justificat, certe *robustius affirmat solam fidem* justificare, quam si dixeris: sola fides justificat, nisi quod hoc clarius sonat, quam illud, dum per impios Sophistas Pauli tum phrasium sententia neglecta perit.

Tom. II. Jen. Lat. fol. 600. b.

Ad p. 1034. fin. §. XVIII.

Huc etiam pertinet disputatio Pauli Gal. V. 4. *evacuati estis à Christo, qui in lege justificamini, à gratia excidistis.* Quid potentius dici potest contra legem? Quid opponi potest isti fulmini? Ergo impossibile est Christum & legem simul habitare in corde. Aut enim legem, aut Christum cedere oportet. Si vero in ea persuasiones es, Christum & fiduciam legis cohabitare posse in corde, tum certo scias, non Christum, sed diabolum in corde tuo habitare, sub larva Christi accusantis & perterrefacientis te, ac exigentis legem & opera ejus ad justitiam. Verus enim Christus non expostulat tecum propter peccata tua, nec jubet te confidere benefactis tuis. Et vera cognitio Christi seu fides non disputat, utrum feceris bona opera ad justitiam, aut mala ad damnationem, sed simpliciter ita statuit: sive feceris bona opera, non ideo justificaris, sive feceris mala, non ideo damna-

f

damna-

damnaris. Non detraho bonis operibus suam gloriam, nec mala laudo; sed in causa justificationis dico videndum esse quomodo Christum retineam, ne otiosus mihi fiat, si justificari lege cupiam. Christus enim solus me justificat contra opera mea mala, & sine operibus meis bonis. Si sic de Christo sentio, verum Christum apprehendo. Si autem judico eum exigere à me legem & opera ad justitiam, factus est mihi otiosus, & ego ab eo evacuatus sum. Horribiles sunt hæc sententiæ & comminationes contra justitiam legis, & propriam. Deinde sunt etiam certissima principia, quæ articulum de justificatione confirmant. Est igitur finalis hæc conclusio: aut Christum amitte, aut justitiam legis. Si Christum retines, justus es coram Deo; si Legem, Christus nihil tibi prodest, debitor es totius legis servandæ, habesque sententiam tuam: *maledictus omnis, qui non &c.*

Tom. IV. Gen. Lat. fol. 153. b.

Huc etiam refer Digressionem Lutheri de Operibus, quam inseruit annotationibus in Matth. XVI. ubi I. monet Scripturam duas habere partes, alteram promissionem, alteram legem; illam non exigere ea, quæ nos debemus facere, sed exhibere ea, quæ Deus nobis donat; hanc autem exigere & ostendere, quid facere debeamus, & hoc ipso comprehendere totam vitam, qualis esse debeat. Vitam autem totam esse non posse, nisi etiam includat una cum operibus voluntatem, rationem & omnes vires & animæ & corporis. II. Cum lex sic exigit totum hominem, recte dici, *reddi unicuique secundum opera sua*, quia necessario subintelligatur etiam reddi secundum cor, affectum, voluntatem & rationem, à quibus fluant & pendeant opera, tanquam causa & effectus, ceu unum compositum. Sine corde enim seu ratione non fieri ullum opus, nec bonum, nec malum, cum ratio & voluntas sit potior, prior & major pars operum, & necessario includantur in omnibus dictis, quæ de operibus lo-

quuntur.